



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia**

**Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>**

**Antverpiæ, 1605**

Epist. XXXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53700)

Aoblitos reduceret. <sup>19</sup> Sed postea diligentius docebo, omnia quæ videntur perire, mutari. Æquo animo debet rediturus exire. Obserua orbem rerum in se remeantium: videbis in hoc mundo nihil exstingui, sed vicibus descendere ac resurgere. Æstas abit, sed alter annus illam adducit: <sup>20</sup> hiems cecidit, referent illam sui menses: solem nox obruit, sed ipsam statim dies abiget. Stellarum iste decursus, quidquid præterierit, repetit: pars cæli leuatur assidue, pars mergitur. Denique finem faciam, si hoc vnum adiccero, nec infantes, nec pueros, nec mente lapsos, timere mortem: & esse turpissimum, si eam securitatem nobis ratio non præstat, ad quam stultitia perducit.

## EPIST. XXXVII.

PERSEVERANDVM in viâ & militia Sapientia esse. Ab hac salutem, felicitatem, libertatem pendere. Perueniri, & vinci, Ratione duce.

**Q**UOD maximum vinculum est ad bonam mentem, promissisti virum bonum. Sacramento rogatus es. Deridebit, si quis tibi dixerit, mollem esse militiam & facilem. nolo te decipi. Eadem honestissimi huius, & illius <sup>1</sup> turpissimi auctoramenti, verba sunt, <sup>2</sup> vri, vinciri, ferroque necari. Ab illis qui manus arenæ locant, & <sup>3</sup> edunt ac bibunt, quæ per sanguinem reddant, cauetur vt ista vel inuiti patiantur: à te, vt volens libensque patiaris. Illis licet <sup>4</sup> arma submittere, misericordiam populi tentare: tu neque submittes, nec vitam rogabis. recto tibi inuictoque moriendum est. Quid porro prodest, paucos dies aut annos lucrifacere? sine missione nascimur. Quomodo ergo, inquis, me expediam? effugere non potes necessitates: potes vincere. <sup>5</sup> Fiat viâ: & hanc tibi viam dabit philosophia. ad hanc te confer, si vis saluus esse, si securus, si beatus: denique si vis esse, quod est maximum, liber. Hoc contingere aliter non potest. Humilis res est stultitia, abiecta, sordida, feruilis, multis affectibus & sæuissimis subiecta. Hos tam graues dominos, interdum alternis imperantes, interdum pariter, dimittit à te sapientia, quæ sola libertas est. <sup>7</sup> Vna ad hanc fert via, & quidem recta. non aberrabis: vade certo gradu. Si vis tibi omnia subiicere, te subiice rationi. multos reges, si ratio te rexerit. Ab illâ disces, quid & quemadmodum aggredi debeas: non incidēs rebus. Neminem mihi dabis, qui sciat quomodo quod vult cæperit velle. non consilio adductus villo, sed impetu impactus est. Non minus sæpe fortuna in nos incurrit, quàm nos in illam. Turpe est non ire, sed ferri: & subito in medio turbine rerum stupentem quærere: Hac ego quemadmodum veni?

*thagorica, sed Stoica quadam πειραστικῆ, siue (ita loquamur) Renascentia: cum post orbis Deflagrationem, & sollemnem ἐκπύρωσιν, iterum alius orbis & διακόσμου, atque eadem & eidem reponitur. Vide me Physiol. II. Dissert. XXII. Tangit & Lucretius hoc dogma, lib. III.*

**D** Nec si materiam nostram collegerit ætas  
Post obitum, rursusque redegetit, vt SITA  
NUNC EST  
Atque iterum nobis fuerint data lumina vitæ:  
Pertineat quidquam tamen ad nos id quoque factum.

<sup>19</sup> SED POSTEA.] *Vbi nescio: non in his libris expresso.*

<sup>20</sup> HIEMS CECIDIT.] *An potius, cedit.*  
EPIST. XXXVII. I. TURPIS SIMI AUCTORAMENTI.] *Gladiatorij. quo in verba Editoris aut Lanistæ iurabant. Vide me II. Saturn. cap. V.*

<sup>2</sup> VRI, VINCIRI.] *Ita libri, nec mutem. Petro-*

*nius. In verba Eumolpi sacramentum iurauimus, vri, vinciri, verberari, ferroque necari, tamquam legitimi gladiatores. Ipsius Seneca. epist. LXXI. Quid miraris, si vri, occidi, alligari iuuat? Si lubet, dicto loco me vide.*

<sup>3</sup> EDVNT AC BIBVNT.] *In saginâ sunt, sed cuius exitus cruentus. Eo allusum.*

<sup>4</sup> ARMA SVBMITTIERE.] *Nos hoc & alia explicamus, Saturn. II. cap. XXIII.*

<sup>5</sup> SINE MISSIONE.] *Id quoque à gladiatorio ritu. Aliquando mittebantur, aut eâ spe pugnabant: aliquando, sine eâ, & ferro absumendi. Nos diffusè, II. Saturn. cap. XXII.*

<sup>6</sup> FIAT VIA.] *Quidam, Fit viâ. id esset, ratione quadam & methodo. At Gruterus, Fit via vi: Virgiliano hemistichio.*

<sup>7</sup> VNA AD HANC VIA.] *Nempe recta. Rationis ductu, vt subiicit, per Sapientiam.*